

V E R I.

Ephesionis, & denique $24 + 22 + 4$ hoc est 50 erit numerus annorum Clyti. Sic $24 + 22 + 50$ sunt 96.

Quinq; solutiones inæquales faciendæ sunt, é quibus simul omnibus summa 9000 florenorum constituatur: proximarum solutionum inter se differentia semper erit 800 floreni. Prima solutio omnium quidem minima ponitur, verum summa illius quanta futura sit quæritur.

Pono illam fore 150 florenos. ergo servatis solutionum differentiis, ut dictum est, secunda solutio erit 950, tertia 1750, quarta 2550, quinta 3350. Earum autem simul omnium summa est 8750. Sed $8750 + 250$ sunt 9000. ergo inventus 8750 dato cognito 9000 minor est. Ergo per 10 prop. positus numerus 150 vero numero minor erit. Eum igitur cum suo signo & collatorum differentia scribam sic

$$150 \text{ — } 250$$

Nunc bis 150 sunt 300. quare per 14 p. rursus ponam 300 florenos primam solutionem fore. ergo secunda erit 1100, tertia 1900, quarta 2700, quinta 3500. Earum autem solutionum simul omnium summa est 9500. sed $9500 - 500$ est 9000. ergo inventus 9500 dato cognito 9000 major erit. ergo per 10 prop. positus numerus 300 vero numero major erit. Eum igitur cum suo signo & collatorum differentia primo posito subscribam sic

$$150 \text{ — } 250$$

$$300 \text{ + } 500$$

jam ut $250 + 500$ hoc est ut 750 ad 250 sic 150 est ad 50. ergo per 19 p. $150 + 50$ hoc est 200 erit verus numerus. Nèpe si prima solutio sit 200 floren. secunda erit 1000 tertia 1800, quarta 2600, quinta 3400; earumq; solutionum simul omnium summa, ut propositum est, erit 9000.

Ex iis